

DR. 233.

31.

Za
921

ELOGIVM
VIRI
PLVRIMVM REVERENDI AMPLISSIMI
DOCTISSIMI
**M. IOANNIS FRIDERICI
ASTERI**

PASTORIS DVM IN VIVIS ESSET APVD MOCKRITZENSES
LONGE MERITISSIMI

NOMINE
ECCLESIAE DOEBELENSIS

CVIVS
BIBLIOTHECAM

TESTAMENTI MVNIFICENTIA AVXIT ATQUE ORNAVIT

PIAE GRATAEQVE MEMORIAE CAVSSA
PVBLICE PROPOSITVM

A

M. GOTTLLOB SIEGISMUND DONNERO
PAST. DOEB.

DRESDAE

LITTERIS HENR. GVIL. HARPETERI.



TRIGAVII

1514

(M)ICHAELIS MUSICA
PRAESES

1514

POSSICILLI RICCAOII II
PHEPCA

POSSICILLI RICCAOII II

POSSICILLI RICCAOII II

POSSICILLI RICCAOII II

VIRIS
PLVRIMVM REVERENDIS AMPLISSIMIS
DOCTISSIMIS
IO. ERNESTO AVGVSTO BECKIO
PAST. MOCKRITZENSI
M. IO. SIGISMVNDO GRAVNIO
PAST. TECHNITZENSI
IO. GODOFREDO IHLIO
PAST. RITTMITZENSI
M. CHRIST. THEOPH. KOEPPINGIO
PAST. KIEBITZENSI
M. IO. ANDREAE KOEPPINGIO
PAST. ZSCHAITZENSI
IO. SAM. THEOPHILO KOENIGIO
PAST. MOCHAVIENSI
SAMVELI HENR. GLASEWALDO
PAST. SIMSELWITZENSI
M. DANIELI FRIEDLIEB IVNGIO
PAST. ZIGRENSI
FAVTORIBVS AMICIS FRATRIBVS IN CHRISTO
AESTVMATISSIMIS CARISSIMIS

**HOC ELOGIVM
BEATI VENERABILIS
A S T E R I
DICAT
S I M V L Q V E
BIBLIOTHECAM ECCLESIAE DOEBELENSIS
SINGVLARI LIBERALITATE
E IV S
EGREGIE AVCTAM ATQVE ORNATAM
ET VS VI OMNIVM ET SIBI INPRIMIS
SVISQVE OMNIS AEVI SVCCESORIBVS
DESTINATAM PARATAMQVE
AVTOR.**

Annus



 **A**nus est, Viri Plurimum Reuerendi, Amplissimi, Doctissimi, Fautores, Amici, Fratres in Christo Aestimatissimi, Carissimi, cum M. IOANNES FRIDERICVS ASTER, Mockritii Pastor meritissimus, natus Doeblae 1714 d. 21 Febr. aetatis anno 67. et 25 Decembris 1780 decessit. Doluerunt et adhuc lugent mortem et vniuersus Mockritzenium coetus, et frater ac soror cum filiis optimis, nec non amici atque familiaritate coniuncti. Ac quibus lacrimis, quibusque complorationibus non dignum praedicemus Virum humanissimum, eruditissimum, virtutisque laude clarissimum.

Multis a natura ingenii virtutibus praeditus cum in schola patria, tum in Prouinciali Portensi ita humanitatis studiis excœluit animum, vt ad altiores Theologiae disciplinas magna cuim spe in Academiam Wittebergensem pergeret. Stadiis academicis post quatuor annos emensis, mortuo interim patre panni texore, domum rediit non solum omni litterarum genere excultus et locupletatus, sed etiam politissimis, placidissimisque moribus



ribus ornatus. Quo factum est, vt et Illustrissimos Hardenber-
gios iamiam pietate, doctrina, atque meritis excellentes, 1739
discipulos nanciseretur, et quidquid doctrina et ingenio valeret
summa cum laude nobilissimae iuuentuti impertiretur. Patri di-
scipulorum generosissimo et eruditione et vitae integritate sum-
mopere probatus, post duos annos non solum munus Pastoris
apud Mockritzenses ei mandatum, sed et postea a filiis variis iis-
que maximis ad mortem vsque benevolentiae documentis coho-
nestatus est.

In demandato hoc munere, quo per quadraginta fere an-
nos functus est, non mercenarium, qui commodis suis inferuen-
do res neglectim et oscitanter tractaret, sed in omnibus sedu-
lum se praebuit et impigrum, fidumque Dei ministrum. Qui
enim accuratius omnes officii partes perspectas habuerit, et rei
dignitatem grauitatemque altius animo impresserit, haud facile
eo quenquam inueniamus. Nemini ergo mirum videri debet,
si audierit, eum non nisi verbis singulis, quae dicturus erat,
conscriptis, suggestum ascendisse. Etenim cum Auditores ha-
beret ruricolas, qui plerumque ea ingenii imbecillitate laborant,
vt, nisi clare atque perspicue omnia proleta sint, nihil recte in-
telligant; ea, qua diximus, ratione et eorum infirmitati succur-
rere et sibi cauere studuit, ne inter dicendum, quod intelligentiae
obesseret, quidquam excideret. Diligentia atque sedulitas
summis laudibus digna! Neque tamen propterea, quod ad vul-
garem sensum Christianorum orationem maxima opera accom-
modare consueverat, iejune ac frigide religionis praecepta tra-
debat. Omnes cuiusque argumenti partes ea arte disposita at-
que colligauit, vt et singulae et vniuersae aptissime consentirent.
Cum hoc pulcherrimo rerum ordine orationem plenam nume-
rosam.

rosamque coniungebat, et cum viuidioris esset ingenii, quod varias rerum imagines facile conciperet, variaque ad illustrandum exempla in promptu haberet, veritatem non semper nudam produxit, aut virtutem leuiter adumbravit; sed ubi ad cognitionem pietatemque promouendam facere aliquid posse videretur, utramque forma pulchriori induitam ostendit atque ita depinxit, ut statim omnium animos occuparet.

Quam sacrae eius orationes a doctrina commendationem habebant, eam salutis auditorum quaerendae indefessum studium mirifice auxit. Non enim in admirationem sui rapere, aut aures titillare volebat, animo intacto, sed ut consequendae felicitatis per Christum nobis partae viam suis tanquam pater filiis monstraret, id maxime spectare solebat. Hanc enim ministri ecclesiae unam esse debere curam persuasus atque certus, non in quaestiones disputationesque subtiles, et quae nec doctrinae, nec pietati apud audientes prodeissent, inquisiuit. Posthabitis alienis omnibus, suos recta ad Christum deducebat via. Solam itaque in eius redemptione, solamque in gratuita, eaque summa Dei Optimi misericordia spem salutis ponendam inculcavit; atque hanc fidem in Christum ut singulis concionibus excitatret aleretque, omnes ingenii neruos intendit. Quo vero fundamento, adiutrice Spiritus sancti gratia, in hominum animis posito, facile quam sequendam proponeret virtus ei superstructa fuit. Ingens post mortem inter libros repertus concessusque heredibus eiusmodi concionum numerus manifeste rem comprobant.

Nec minori curae ei, qui tam sollicitus esset in argumentis diligentissime accuratissimeque diligendis atque tractandis, exter-



externum corporis habitum fuisse scimus. Etenim qui probe cognitum habebat, verbi diuini efficaciam ab his rebus non pendere, is nec inscius erat, quantum pietatis sensus adiuuaretur, vbi ministri ecclesiae sive in sacro vmbone, sive in altari, sive denique in sella confessionaria constituti vultus atque gestus omnis ad rei dignitatem decore compositus esset. Huius igitur venerationis Deo inter sacra peragenda debitae nunquam immemor mirum quantum pietatis sensu auditores affectit.

Tantum autem absuit, vt munerae sui partes cultus diuini publici ministerio expletas existimaret, vt potius consiliis studiisque priuatis summam illius quoque rationem haberet. Atque id eo magis ipse laudi tribuendum, quo peius est, cum stola atque sacerdotalibus insignibus curam sacrorum abiicere, et ad humana solum recurrere. Res agraria, vnde plurimis saepe, quae vitae necessitas exigit, quaerenda, multum hic interdum impedimenti affert, sed Patroni Illustrissimi opera et beneficentia Beatus ASTER solitus omni sarcina illa, iniuncta villico, liberime studiis atque muneri vacare potuit.

Omnium vero maxima ministris ecclesiae bonae parvulorum educationis cura esse debet. Incumbit ea quidem parentibus, qui vsu vitae quotidiano'ad optimos mores virtutemque et praecepsis et suis exemplis liberos instituere possunt; sed quod magis negligatur, et in quo grauius peccetur, rerum humana- rum nihil fere reperitur, licet in his bene educandis non singulorum modo, sed omnium salus vertatur. Quid igitur ASTE- RO de felicitate cuiusque tam sollicito carius antiquiusque esse potuit, quid praeclarioris, munerae rationi conuenientius age- re, quam vt ipse doctrinae diuinae parvulorum animis instillan- dae

dae op̄eram nauaret? Non schola tantum visitanda et ludimagi-
stri institutionibus consulendo acquieuit, sed domi quoque ma-
num ad opus ipse admouit. Accersiuit ad se paruulos: imbecil-
litatem ingeniorum lenissime tulit: non tam memoriam coluit,
quam intellectum: neque tam scholae, quam vitae discendum
instituit. O Virum praeclarum, nulos labores fugientem, de
amplificando regno Domini Nostri Iesu Christi optime meritum!
Testimonio institutiones esse possunt catecheticae, quas magna
diligentia elaboratas suo ipsius sumtu imprimendas curauit. Li-
bellus omnium suorum manibus tritus et in sinu quasi gestatus
mox translatus ad vicinos legentibus saluberrimus fuit.

Totus igitur in eo, quod vel ad promouendam cuiusque
salutem et felicitatem, vel ad minuendam miseriam pertineret,
expertes doctrinae diuinae erudire, errantes in viam reducere,
afflictos consolari, aegris ac sollicitis saluberrima remedia pro-
ponere nunquam intermisit. Subuenit vltro egenis: subleuauit
fortuna oppressos: quos posset voti compotes omnes fecit. Qua
hic opera, cautione atque prudentia opus, ea sapientissime usus
est. Etenim res optima perditur et honestissimis, fortissimis
que saepe consiliis excidimus, si temere et intempestive omnia
fiunt. Sed Noster, quoad licuit, domos opportune circumeun-
do in circulos loquentium sese inserens sermones temporis, loco
atque personis aptos miscere consueuerat, quibus plusquam in-
numeris concionibus saepe effici potest. Hunc in finem, vbi
epulis interesset nuptialibus aut baptismalibus, omnem etiam a
rebus vulgaribus vel datam, vel oblatam colloquendi occasio-
nem conuertit. Pastoris dicta monitaque eo altius, constantius
que animis inhaerebant, quo magis ea ex animo beneuolo pro-
fecta intelligerent, et cum doctrina vitae sanctimoniam coniun-
ctam viderent.

b

In

In aedes suas reuersus tempus a praescriptis muneris occupationibus vacuum non otio inerti, sed oraculis sacris semper penitus indagandis inuestigandisque dedit. Id quod eo liberius ipsi licuit, quo minus auribus quidquam obstreperet, aut animum domesticae curae turbarent. In matrimonium quidem duxit die 29 Octobris 1743 ANNAM FRIDERICAM, ZIMMERMANNI Scribae quondam ciuitatis Doebelensis Clarissimi filiam natu minorem virginem, sed liberos ex illa non genuit. Hinc ante sex annos viduus factus in primis quietam et solitariam vitam agere coepit. Summae tamen voluptati in solitudine degenti erat, a vicinis conueniri, et cum litterarum amantibus sermones de litteris instituere. Qui eum igitur vel honoris, vel amicitiae causa adiissent, semper ea sunt excepti benignitate, ut Viri Venerabilis comitatem suauitatemque non satis laudare possent. Itaque nomen eius ita celebratum est, ut boni omnes et eruditii amicitiam atque familiaritatem eius peterent. Quia igitur reuerentia et animi integritate in Deum, eo quoque amore, et amicitia in homines erat: carus Dioeceseos Ephoro, dilectus multitudini, amicissimus suis atque amicis.

Multo minus autem, quae alienis patebat domus et pectus, consanguinitatis vinculo coniunctis reclusum erat. Quidquid in eum ab his olim beneficiorum collatum, id semper grata mente recordatus, quantum posset, remunerari studuit. Multis officiis amorem integerrimum significauit: rebus dubiis consilio adfuit: consolationibus animos erexit. Sic fratrem non modo propinquum, horae enim spatio pagus ab urbe distat, sed optimum habuere sanguine coniuncti; ac quidquid laudis et gloriae talis, tantusque meruit, id quasi iure suo semper sibi etiam vindicare potuerunt atque nunc possunt. Ne tamen quae hoc pertineant,

lon-

longius repetere videar, iam ea, quibus testamento annos aliquot ante mortem facta amorem declarauit, commemorabo.

Vir omnibus vitae suae rebus sapienter et praeclare institutis, facultates suas ita distribuit, ut heredibus in vniuersum fratrem ac sororem scriptis, M. Rudolphi Pastoris Röhrsdorfensis ex vxore Carolina in domo Beati educata, filia certam pecuniae summam et praeter vrensilia quaedam pretiosiora omnem librorum naturae, philosophiae, historiae, moribus et liberalibus disciplinis inferuentium apparatum ea quidem conditione acciperet, ut auctionis lege venderentur; reliquos argumenti theologici libros Bibliothecae Doebelensi legauit.

Atque hoc illud est, Viri Plurimum Reuerendi, Amplissimi, Doctissimi, Fautores, Amici, Fratres in Christo Aestimatis, Carissimi, cuius enarrandi caussa haec praefatus sum. Librorum, qui hoc modo in Ecclesiae Doebelensis potestatem venerunt, non exiguus numerus est. Sunt circiter voluminum, pro varietate formarum, duo millia, totidem fere thaleris comparata. Magna prorsus hereditas et multis sufficiens ingenis! Reperiuntur, inquit Petrarcha, qui hac parte supellestilis exornent thalamos, neque aliter his vtantur, quam Corinthiis vasis, aut tabulis pictis ac statuis, sed quis Nostrum voluptati atque iactantiae, nec disciplinae et animo exornando libros quaesisse dicat? Nullus fere est, in quo non vestigia doctrinae legentis deprehendantur; nulla enim sanctiorum litterarum disciplina fuit, in qua non optime versatus esset. Si igitur Beatum pro medio-cri ex munere reditu tantam pecuniae summam emendis libris impendisse miramur, summam eius frugalitatem et in omni vita temperantium suspiciamus. Gratulantur sibi Doebelenses de


b 2

Viro

Viro litterarum amantissimo, tam erudito atque in patriam praeclarissime merito. Ab anno 1525, quo Bibliotheca nostra a Summe Venerabili MARTINO CORBENERIO, Concionatore Aulico Dresdensi, si vel maxime non fundata, instaurata tamen atque ornata est, tam luculentum amoris patriae testimonium, tanta in Ecclesiam munificentia non extitit. Modicum est, quod Bibliothecae augendae ex lege assignatum est; itaque ASTERVM seculorum fere redditus expleuisse dicamus. Aduersentur ditandis Ecclesiis legata mortua et in detrimentum reipublicae facta nuncupantes! Damnent pestiferum Romanorum Monasteriorum opum inferendarum studium! Iusto quidem odio dolosos heredipetas prosequimur, et longe faceant, qui Ecclesiistarum diuitias nihil inde in egenorum aut publicum usum erogaturi praeter modum cumulare student; sed quid quotidie fieri videntur, quando ad templa reparanda, resque sacras instituendas pecunia opus est? Nonne saepe rixae et contentiones oriuntur, ubi extra ordinem pecuniae ad sacra conferenda? Nonne saepius, etiamsi ostiatim a populo stipem emendicemus, hominum paupertas oneri sustinendo impar est? Sed concedamus, ecclesiasticas opes interea claustris sine usu sepultas iacere, attenuam non eadem, quae nummorum et librorum conditio est. Perdendae sortis ac usuruae metu non reclusi armariis latescunt, aut muros vestiunt vermis exesi; voluptati sunt legentibus, interrogati respondent, ubi consilio opus, consulunt, solatio confortantur; docent, admonent, erigunt animos, antiquitatis mores et res gestas explicant, litteras sacras interpretantur et rerum diuinarum cognitioni pietatique apud auditores promouendae quotidie materiam praebent; virtuti, doctrinae et praeclare factis praemia eaque aeterna proponunt, ad omnia officiorum genera instruunt, gloriam Dei regnumque filii sui Iesu Chri-

Christi amplificant, felices atque beatos reddunt. Quis efficissima doctrinae et salutis humanae atque diuinae instrumenta mortua dicat? Quibus laudibus non in perpetuum nomen ASTERI splendebit, quod tam egregium librorum apparatum publicis vibus largitus sit? Ad quam sapientiam, pietatemque non posteros serissimos instruet, quod aucha atque ornata Ecclesiae nostrae Bibliotheca perennem quasi doctrinae fontem aperuerit? Quos enim cuiusque theologiae disciplinae prastantissimos quaeuis aetas protulit interpres, eos diligenter collegit, atque hanc curam, qui vel instituendae, vel ornandae bibliothecae ecclesiasticae intentus est, quisque adhibere debet. Nam plurimi ministrorum verbi diuini praeter necessaria atque facile obuia studiorum adminicula ob exiguitatem rei familiaris libris pretiosioribus, grandiorisque molis saepissime carentes colendis studiis metam positam, frenoque ingenia cohibita aegre atque acerbe ferunt. Et quomodo ipsi egentes libros aliis suppeditemus? Quam bene igitur consultum nobis foret, si in singulis praesertim vrbiac ac maiorum ecclesiarum templis vel ex ipso aerario, vel aliis redditibus certis bibliothecae ad communem vsum instituta paterent! Non minoris forent utilitatis, recte institutae, quam si vbiique scholarum bibliothecae reperirentur.

Quae in hoc genere maximis florentissimisque saepè ecclesiis denegata est sors, ea nobis iam olim contigit, nunc vero Venerabilis ASTERI beneficio multo auctior facta euenit; neque Doebelensibus tantum, sed cum in bonorum omnium usum, tum in Vestrum praeципue, Fautores et Amici, librorum thesaurus cessit. Verba testamenti vernacula haec sunt: „Ich ver-
„mache meine Bibliothek, welche nach dem darüber vorhandenen
„und in meinem Schreibepulte befindlichen Catalogo aus zweien Thei-
b 3
„len



„len bestehet, eines Theils der Kirche zu Döbeln, nämlich den ersten
 „Theil derselben, der die theologischen Bücher in sich begreift, zur
 „Vermebrung der dorten in meiner Vaterstadt schon vorhandenen Kir-
 „chenbibliotheck und will, daß der Gebrauch dieser theologischen Bi-
 „bliotheck nicht nur den sämtlichen Herren Geistlichen zu Döbeln,
 „sondern auch den benachbarten Predigern auf dem Lande, zu Mo-
 „ckritz, Technitz, Rittmitz, Kiebitz, Zschaitz, Mochau, Simsel-
 „witz und Ziegra freystehen und deswegen nach meinem Tode, auf
 „Kosten der Kirche zu Döbeln, dahin transportirt werden solle.“

„Der Herr Pastor in Döbeln, dem die Inspection über die dasige
 „Kirchenbibliotheck zustehet, wird so wohl thun und nach meinem To-
 „de wegen dieses Kirchen-Vermächtnißes an das Hochlöbliche Ober-
 „Consistorium Bericht erstatten, damit dieses hohe Collegium ferner-
 „weit Sorge tragen helfe, daß diese auf das gemeine Bestre abzielende
 „milde Stiftung so lange, als möglich erhalten werden möge.“

Vbi post mortem testamentum, heredibus hoc consilio ad
 diem 25 Ian. 1781. conuocatis, apertum, et quid praescriptum
 in eo cognitum fuit, res statim ad Proto-Synedrium Dresdense
 relata est, a quo deinde legatum et confirmatum et ut legibus,
 quas in se contineret, omni ex parte satisficeret, religiosissime
 fancitum est. Sub moderamine igitur et tutela eorum, qui sa-
 cra omnia quam sapientissime prouida sua cura amplectuntur,
 Bibliotheca nostra, in templo erecta atque asseruata, ab homi-
 num temporumque iniuria semper integra et intacta remanebit.

Ita quidem amicum perdidisti, Amici, sed non amicitiae
 documentum. In alium locum translatus est librorum appara-
 tus, sed facultas eo vtendi nullo modo imminuta, et cuique li-
 bera

bera. Patuerunt antea fores aedium, iam patet aedes. Habuistiis in commodandis libris iisque porrigendis ASTERVM humaniſſimum, atque me ſemper promtum et paratum habebitis; neque Vos me ſolum, ſed Vestri meos etiam omnis aeui ſucceſſores. Adeſte igitur frequentes, et omnes, quandoconque volueritis, officiis meis libere vitimini!

Deus vero vitae bene aetiae, benefactorumque non immemor iam aeterna felicitate fruentis ASTERI animum gaudiis ſuauiſſimis perfundat, nosque ex eius beneficentia ſemper eam vtilitatem capere finat, vt ſummi numinis gloria magis magisque celebretur et hominum ſalus in dies promoueatur.
Scripsi Doebelae d. 28 Decembris ccc LXXXI.



VII


Ka 921 QK

X3073984

Indelli - zebis 1913-1914 - mibes avel toma merovali - qazd
- ad 17/7/9/12/14 - dengizin qapen etchit vobet - tormos ni - tih
- pind - ded mindey te - taymudiq - regid em - supi - tannumam
- til - taza - tinao - mabz - tazm - infi/ - h3 - tazl - em - zo / - tuzan
- tuzandar - tuzan - etabio te - tazmazari - amagi - shsba - amalha
- tuzmazari - amagi - shsba - amalha

- amagi - shsba - amalha - tuzmazari - amagi - shsba - amalha
- amagi - shsba - amalha - tuzmazari - amagi - shsba - amalha
- amagi - shsba - amalha - tuzmazari - amagi - shsba - amalha
- amagi - shsba - amalha - tuzmazari - amagi - shsba - amalha

M.G.



B.I.G.

OGIVM
VIRI
REVERENDI AMPLISSIMI
DOCTISSIMI
NIS FRIDERICI
STERI

IVIS ESSET APVD MOCKRITZENSES

NGE MERITISSIMI

NOMINE

E DOEBELENSIS

CVIVS

OTHECAM

CENTIA AVXIT ATQVE ORNAVIT

QVE MEMORIAE CAVSSA

ICE PROPOSITVM

A

IEGISMVND DONNERO

PAST. DOEB.

RESDAE

ENR. GVIL. HARPETERI.

ELLIOTHECA
HUCAVIANA

